

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 4168

**Auteur(s)** : Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Bus-Saint-Rémy, Notre-Dame-du-Trésor (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1248, juin

**Lieu d'émission** : Paris

**Action juridique** : donation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Louis [IX], roi de France, concède les biens de l'abbaye Le Trésor Notre-Dame et cède aux religieuses de ladite abbaye un revenu dont la valeur ne dépasse pas 100 livres par an.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardele (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1183, p. 324-325.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus, tam presentibus quam futuris, quod nos, pro salute anime nostre et animarum inclite recordationis regis Ludovici, genitoris nostri, et carissime domine et matris nostre regine, et antecessorum nostrorum, concedimus abbacie monasterii de Thesauro Nostre Domine, Cisterciensis ordinis, et monialibus ibidem Deo servientibus quecumque ipse de feodo nostro sive dominio vel censu nostro, in terris, vineis, pratis, nemoribus, domibus, pascuis sive aliis quibuscumque possessionibus vel rebus aliis, titulo donationis, sive emptionis, sive ex legatione testamentorum, vel quocumque alio modo, ex elemosinis, a baronibus, militibus, clericis et laicis, sive a quibuscumque personis usque ad presentem diem adquisierint, in manu mortua in perpetuum possidenda. Preterea, concedimus eisdem, ut quecumque in futurum usque ad valorem centum librarum annui et perpetui redditus de feodo nostro sive dominio sive censu, aliquo predictorum modorum, poterunt acquirere, in manu mortua teneant et in perpetuum possideant, salvo jure alieno, et salvis censibus et justiciis et aliis redditibus quos habemus in censibus quos acquirunt ; et excepto quod non possint acquirere in civitatibus et castris nostris nisi unam domum vel duas ad usus suos in qualibet civitate vel castro. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate et regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisius, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mense junio, regni vero nostri anno vicesimo secundo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa : dapifero nullo ; signum Stephani buticularii ; signum Johannis camerarii ; constabulario nullo. Data, vacante cancellaria.